Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Antith.

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

ANTITH.

Tantum abest, ut interpretatio nostra sit ἄκυρος, ut potius dicendum sit, universa Ecclesiæ Judaicæ membra eandem olim sua autoritate comprobasse & suffulsisse. §. 11.

Prob. 1.

Tam ponderosa sunt argumenta, qvæ attulimus, §. 1. qvibus addimus 1. emphasin vocis שלח *cui* projiciendi significatio, *in Piel tam est usitata & freqvens, ut ex hac sola interpretes potuissent conjicere, hunc textum de qvodam alio, qvam de vulpeculis explicandum esse.*

Resp. Nulla hactenus vidimus afferri argumenta pro manipuli sensu; Neqve enim ex scriptura aut aliis lingvis id fuit probatum. Conjecturæ qvædam allatæ sunt, sed inanes plane & omnis ponderis expertes, compactæ ad decipiendos incautos. Qvod verbum וישלח attinet, inest illi sensus *dimittendi, amandandi, ablegandi, deducendi, expellendi.* Interdum & *injiciendi*, ut Ps. LXXIV. 7. *injecerunt ignem in sanctuarium.* Ille freqventior multo est hoc. Ponamus tamen æqve de vivis ac anima carentibus adhiberi, an satis pie sanus interpres hic potuit deserere *immittendi* sensum, qvem vox שועל & prædicatum לכד *capere* jure qvodam poscebat? Annon summa foret temeritas, si qvis hic sensum *projiciendi* vellet amplecti, & ex eo determinare sensum vocis שועל & vocis לכד cum nulla esset necessitatis species? nedum, qvod ea sola interpres moveri potuisset ad cogitandum de alio subjecto, qvod perqvam temere asserit Dn. Autor.

2 *Addo consensum Viri illustris in Italia M---- & Excellentissimi D.---- in Germania, ac plures fortasse nobis adjicient calculum suum, qvos ignoramus.* §. XI.

Resp.

Resp. Autoritates humanæ non præjudicare possunt Scripturæ. Solæ autoritates sine rationum ponderibus prudentem non movent. Qvare non nominat Dn. Autor eos, qvos sibi suffragari jactat? An credit tam bardum & bliteum esse lectorem, ut se solo hoc jactato illustrium Virorum consensu capi patiatur? Fallitur, si hoc existimat. Qvis non potius, qvi talia legit, statim hic de fraude cogitabit, cum nisi qvid monstri aleret Dn. Autor non dubitasset sibi consentientium allegare nomina. Vanum ergo est, qvod putat, plures sibi suum calculum adjecturos.

3. Adimit hæc nostra interpretatio Atheis occasionem historiam de vulpeculis Simsonis subsannandi §. 1.

Resp. In gratiam Atheorum sensum Scripturæ pervertere impium est. Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona Rom. III. 8. Rectius convincentur Athei, si ipsis proponetur, Palæstinam, uti vineis ita & vulpibus abundasse, cum uvis vehementer delectentur vulpes: Incolas Palæstinæ, ut noxia animalia abigerent, vulpibus capiendis haut levem operam dedisse: Sæpius plures simul fuisse captas, cum vulpium qvoddam genus in Palæstina fuerit, Thoes dictum, qvæ gregatim prædari consvetæ. Simsonem Judicem fuisse, pluribusqve imperasse, adeoqve facillimum ipsi fuisse ducentos capere vulpeculas, si tantum qvinqvaginta hominibus ex suis eam operam demandasset: Neqve uno die istas vulpes fuisse captas, sed integro mense; vel plus etiam temporis ipsis capiendis fuisse datum. Postremo non sine singulari Dei providentia ac ope totum hoc negotium fuisse confectum. Ut DEUS olim ad Noachi Arcam bestias compulit, ita etiam ad Simsonem vulpes. Conf. Bocharti Hierozoicon L. III. Cap. XIII. p. 854. l. in 60. seqq. His ita ponderatis æqvo Lectori facile apparebit, qvam temerarium Domini Autoris assertum sit, Ecclesiam Judaicam falsam suam interpretationem olim suo consensu approbasse.

CAP. II.